



## CAPUT II.

### *De nauiculariorum iuribus et obligationibus in semita fluminum uauigerorum.*

Aduerso fluuio et flatu nauigia hominibus equis bobusque trahi supra diximus, inque eam rem semitam quandam esse constitutam, quam Leinpfad seu Troedel verbo nautico appellant, cuius iura breui videamus. Naturali quidem lege vsus riparum urgente necessitate nauigantibus denegari nequit, vt autem accolae fluminum riparumque domini semitam suo detrimento in vtilitatem nautarum patiantur, humanitatis est. At enim in ciuitate aliae ineundae sunt rationes. Flumina non in commodum duntaxat circumcolentium comparata sunt, sed emolumento esse debent toti ciuitati, cauendumque, vt ne singuli in detrimentum reipublicae dominatum in fluuiis exerceant. Illa autem fluuiorum nauigabilium vtilitas sine vsu riparum plene percipi nequit, ideoque necessitas iam ex ipsa ciuitatis natura vicinis imposita videtur, vt ne vsum riparum, quatenus nauigantibus esse potest comodo, impediatur, ideoque semitam iam naturaliter patiantur. Itaque *edictum* PRAETORIS <sup>1)</sup> ex ipsa natura haustum expressumque reor, ait: *Ne quid in flumine publico ripae eius facias, ne quid in flumine publico neue in ripa eius immittas, quo statio iterue nauigio deterius fiat*; quod quanquam de sola nauigatione praecipere videtur, profectum tamen erit ad semitam riparum, quippe quod de flumine publico cauetur, secundum *VLPIANVM* <sup>2)</sup> ad pedestre iter etiam pertinet, quia, si hoc impediatur, non ideo minus iter nauigio deterius fiat.

Germani easdem ab antiquissimis temporibus ad nostram vsque aetatem secuti sunt rationes. *LEX FRISIONVM* <sup>3)</sup> praecipit; *Si quis in flumine publicam viam occluserit XII, solidis componat*. Sed antiqua in tam breui scriptura non morabor; *PAX WESTPHALICA* <sup>4)</sup> cauet:  
*Plena*

1) L. 1. D. de fluminibus.

2) L. 1. et 14. D. c. l.

3) *Addit. ad Legem Frisicam Tit VII.* apud *CANCIANI Vol. III. Barb. Leg. Ant. p. 29.*

4) *Instr. Pac. Art. IX. §. 1. et 2.*